

in bello sine extis agunt nihil sine auspiciis dum  
habent auspicia: externa videamus. namque et Athe-  
nienses omnibus semper publicis consiliis divinos quos-  
dam sacerdotes, quos *μάντεις* vocant, adhibuerunt, et  
Lacedaemonii regibus suis augurem adsessorem dede- 5  
runt, itemque senibus (sic enim consilium publicum  
appellant) augurem interesse voluerunt, iidemque de  
rebus maioribus semper aut Delphis oraclum aut ab  
96 Hammone aut a Dodona petebant. Lycurgus quidem,  
qui Lacedaemoniorum rem p. temperavit, leges suas 10  
auctoritate Apollinis Delphici confirmavit; quas cum  
vellet Lysander commutare, eadem est prohibitus reli-  
gione. atque etiam qui praeerant Lacedaemoniis non  
contenti vigilantibus curis in Pasiphaae fano, quod  
est in agro propter urbem, somniandi causa excubabant, 15  
97 quia vera quietis oracla ducebant. Ad nostra iam  
redeo. quotiens senatus decemviros ad libros ire ius-  
sit; <quantis in rebus quamque saepe responsis ha-  
ruspicum paruit!> Nam et cum duo visi soles essent et  
cum tres lunae et cum faces, et cum sol nocte visus 20  
esset, et cum e caelo fremitus auditus, et cum caelum  
discessisse visum esset atque in eo animadversi globi,  
delata etiam ad senatum labes agri Privernatis, cum  
ad infinitam altitudinem terra desidisset Apuliaque  
maximis terrae motibus conquassata esset — quibus 25